ALEXANDER Dei gratia Rex Polonie Magnusdux Lithwanie Russie Prussie
ac dominus et heres etc. Significamus tenore presentium quibus expedit universis Quia tenemur veri iusti ac debiti
famoso Johanni Kyslingk Consuli Cracoviensi Nongentos florenos in Moneta polonicali consueta
per mediam sexagenam quemlibet florenum computando quos nobis in nostra et Reipublice necessitatibus concessit Cui satisfa
ciendo sibi eosdem Nongentos florenos ex lucris ipsius proprii Argenti in Monetaria nostra cudendi percipien
dedimus propter quod tantum Argenti in Monetaria nostra eidem cudere admisimus ut ex lucro eius solucionem
summe predicte percipiat Quocirca tibi Magnifico Jacobo de Schydlowiecz Regni nostri Thezaurario et
Capitaneo Lanciciensi Committimus et Mandamus quatenus a predicto Joanne Kysslingk Argentum ad cudendum
recipias de cuius Argenti Lucro solucionem predictam Nongentorum florenorum ipse Joannes colligat
sitque tandem ex ipso Lucro integram predictorum debitorum solucionem sibi impendas Argentum vero quod dabit
sit ipsi Johanni persolvas ut a Mercatoribus ad Monetariam nostram pro paratis pecuniis emi consuevit
ut nullum exinde dampnum ipse Johannes percipiat de qua cussione te quittamus presentibus Si autem ante
solutionem totalem cussio Monete cessaverit tenebimur ei residuum debiti complere et solvere Harum quibus
Sigillum nostrum est appensum testimonio literarum Datum Cracovie feria sexta festi sancte Anne Anno domini
Millesimo quingentesimo quarto Regni nostri tercio

Alexander dei gratia Rex
manu propria sst

7.

1504

Debitt

Moneta

1504

8